CHRIA VERBALIS S.
ad
DAVIDICUM ILLUD,
Ps. XCI. v. 11.
Angelis suis mandavit de te &c.
CUSTODIAM ANGELORUM
commendans.

Exordium à laude DAVIDIS.

Ecquis, plurimum colende DNE Parens, Juvenes item ornatissimi, qui Musis operamini, quosq; item non piget, nec pudet, sed omninò

——— ——— doctis juvat impallescere chartis;

ecquis, inquam, vestrûm in sacrò sacrarum literarum Codice tam hospes est ac peregrinus: ut ignoret, Davidem sanctissimum fuisse Prophetam, potentissimum fuisse Regem, doctissimum fuisse Musicum, exercitatissimum deniq; fuisse Scriptorem. Indeq; nec quenquam in hoc ipsô consessu tam inhumanum fore, aut ab omni civilitate morum alienum esse arbitror: qui laudatissimum hunc Regem non depraedicet, ejusdemq; laudes diffundat,

——— ——— — quà Solis Eoi
Carceribus laxantur equi, spacioq; diurnô
Tendit ad Hesperiam quà mobilis orbita metam.

Potissimum v. laudibus celebrandus est Rex et Propheta David ob integram vitam. Ecce enim integer ipse vitae scelerisq; purus erat, Deum suum totô corde diligens, Ecclesiam, quibus poterat, modis juvans et ornans, ipseq; suum deniq; cor Spiritui S. consecrans. Et et summa laude extollendus ob res fortiter gestas: In adolescentiâ enim suâ cum leonibus ac ursis, tanquàm cum hoedis et ovibus lusit: cum Goliatho, qui, viribus et corporis vastitati confisus,

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,

regiô permissu singulare iniit certamen: cum Allophylis non semel feliciter conflixit. Depraedicandus deniq; Ecclesiae hic veteris Pindarus est ob sacram eloqventiam: cujus quidem elegantissima specimina in Canticis suis, quorum suavitate melior pars Orbis non mirari, quàm Ecclesia Christiana capitur exhibet. Et quidni ob eloquentiam insuper laudandus Rex David foret? Is enim, si narrat et effatur, fundit oracula: si consolatur, merum miscet nepenthes: si hortatur, accendit faces: totus adhuc, ubi de industriâ emollit orationem, deliciarum